VETUS TESTAMENTUM

Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh.

Seite 222v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

viri qui erant cum eo in parte castrorum. Incipientibus vigiliis noctis mediae, et custodibus suscitatis ceperunt buccinis clangere et complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque gladius domini et gedeonis, stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes ululantesque fugerunt. et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis sonantes. Immisitque dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cede truncabant usque bethsecha. Conclamantes autem viri israel de neptalim et aser, et omnes manasse persequebantur madian. et dedit dominus victoriam populo israel in die illa. Misitque gedeon nuncios in omnem montem effraim dicens. Descendite in occursum madian, et occupate aquas usque bethbera atque iordanem. Clamavitque omnis effraim, et preoccupavit aquas usque bethbera. Apprehensosque duos viros madian oreb et zeb. Interfecit oreb in petra oreb, zeb quoque in torcularia zeb. Et persecuti sunt madian capita oreb et zeb portantes ad gedeon trans fluenta iordanis.

Capitulum octavum

Dixeruntque ad eum viri effraim quid est hoc quod facere voluisti, ut non nos vocares cum ad pugnam perges contra madian. Quod tale facere potui, quale vos fecistis. Iurgantes fortiter et prope vim inferentes. Quibus ille respondit. Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis. Nonne melior est racemus effraim vindemiis abiezer. In manus vestras dominus tradidit principes madian, oreb et zeb. Quod cum locutus esset requievit spiritus eorum, quo tumebat contra eum. Cumque venisset gedeon ad iordanem transivit eum cum trecentis viris qui secum erant et pre lassitudine fugientes persequi non poterant. Dixitque ad viros socoth. Date obsecro panes populo qui mecum est, quia valde defecerunt ut persequi possimus zebee et salmana reges madian. Responderunt principes socoth. Forsitan palme manuum zebee et salmana in manu tua sunt et ideo postulas ut demus exercitui tuo panes. Quibus ille ait. Cum ergo tibi dederit dominus zebee et salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Et inde conscendens venit in phanuel locutusque est ad viros eius loci similia. Cui illi responderunt, sicut responderant viri socoth. Dixit itaque et eis. Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. Zebee autem et salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim